



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Metropolis Salisvrgensis**

Continens Fvndationes Et Erectiones Monasteriorvm, Et Ecclesiarum  
Collegiatarum, &c. per Boiarium, ac loca quædam vicina

**Hund, Wiguleus**

**Monachii, 1620**

Priuilegium Dn. Philippi Romanorum Regis super Aduocatia.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-13578**

Conquestus siquidem est in auribus nostris, quod *Alramus de Kambe* injustè sum grauaret Ecclesiam, vendicans sibi quæ nullo ei jure competebat eiusdem Cœnobij aduocatiam. Cumque nos eudem *Alramum Nirnberg* conueniremus actione iniuriarum sub frequentia Princepum in Consistoria dixit, se eandem aduocatiam nomine beneficij tenere à dilecto consanguineo nostro *Ottone Babenbergensis* Episcopo. Porro requisitus super hoc verbo prædictus Episcopus, assuruit, & legitimis testibus probauit in præsentia nostra, quod aduocatiam hanc feodalijure ab *Alramo* euicisset, quoniam certum fuit eum perperam usurpasse. Cum itaque præfatum Monasterium ab eiusdem *Alrami* injuria vндicatione sit exemptum, petitione clerici consanguinei nostri præfati *Babenbergensis* Episcopi, constituimus ut si placuerit Abbatii *Alderspacensis* defensorem rerum suarum eligere, in perpetuum in optione eius sit cum consilio Episcopi *Babenbergensis* idoneam sibi ad hoc onus inuenire personam, quæ si forte grauis ei fuerit & molesta, libera sit Abbatii facultas alium eligendi, adhibito consilio Episcopi. Ut autem hæc rata & inconvulsa permaneant, & perpetua firmitatis vigorem obtineant, præsentem paginam sigilli nostri impressione, & idoneorum testium subscriptione roborauiimus. Testes sunt *Rugericus Kameracensis* Episcopus, *Dieboldus Patauensis* Episcopus, *Leupoldus Dux Austriae*, *Berchtoldus Marchio Hystriae*, *Berchtoldus Dux de Meran*. Comes *Berchtoldus* & frater eius *Vlricus de Berge*, *Comes Albertus de Eberstein*, *Comes Theodericus de Wasserburg*, *Conradus Præfectus de Nirnberg*. *Comes Heinricus de Altendorf*, *Fridericus de Truhedingen*, *Reinhardus & Eberhardus de Reiphenberg*, *Conradus Pincerna de Cipse*, *Conradus Dapifer de Rotenberg*, *Herdegno de Grindale & alij quamplures*. Datum apud *Nirnberg* Anno Domini M. C. LXXXIII. Indictione I. III. Idus Martij.

Priuilegium Dn. Philippi Romanorum Regis super  
Aduocatia.

**P**hilippus secundus Dei gratia Romanorum Rex semper Augustus, omnibus Imperij fidelibus tam præsentibus quam futuris duximus innotescendum, quod constituti in præsentia nostra Abbas de *Aldersbach* & confratres sui, dictante sententia obtinuit, quod juxta venerandam Ordinis *Cisterciensis* consuetudinem licitum sit ipsis super omnia bona monasterij sui quemcunque voluerint eligere defensorem, & eundem etiam procedente tempore, si forte idoneus & ipsis utilis non sit, ab ipsa aduocatia remouere. Porro sententiam eandem diuinæ remunerationis intuitu auctoritate regia confirmantes statuimus, & sub pena gratiæ nostræ districtè præcipimus, ut nullus hominum eam infringere audeat, vel occasione aliqua potestatem ullam super prædictorum fratrum possessiones, præter voluntatem eorum sibi vendicare: quod qui facere attemptauerit, iram omnipotentis Dei, & nostræ magnitudinis offensam se nouerit incurrisse. Datum apud *Babenberg*, II. Kalend. Martij. Indictione VI.